INNOCENTIUS III. PETRUS PICTOR. BERNARDUS CLARAEVALLENSIS. SIMON TORNACENSIS. VITA WILLEHELMI

1. Viertel 13. Jh.

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36519
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

ac deinceps corpus occupat universum. Mentem desideriis afficit, menbra illecebris inficit. Inde pruritus aurium, oculorum petulantia, inde olfaciendi voluptas, inde in faucibus tam inordinata delectatio, inde in universo corpore, inde in universo corpore mollicies, sensus et libido pruriosa tangendi. Inde in animo ebrietas, illa desideriorum et fornax quedam ambitionis, avaricie, invidie, contumacie, nequicie et omnium denique viciorum affectibus vehementer accensa. Quot enim corpus illecebras, quot oblectamenta mundus videtur habere, tot patitur tribulationes, tot sustinet temptamenta vir iustus. Et quemadmodum ambulans quis in carne sensuum voluptate letatur et delicias computat esse subsentibus, sic et omnis qui in spiritu seminare desiderat spinas et tribulos quas ipsa terra ex maledicto utique germinat potius eradicare quam propagare contendit, quippe qui convertitur in erumpna sua quotiens spina confringatur. Hinc ergo tam multifarie pesti per singula queque resistere, quam multiplex tribulatio. A planta pedis usque ad verticem non est in me sanitas. Totum inficit concupiscentia. Lex peccati in menbris omnibus invenitur. Undique per fenestras mors intrare contendit, sed et intus fomes totius nequicie periculosius sevit, crudelius malignatur. Minime tamen in hac multiplici lucta deficiendum, aut desperatione cedendum est. Licet enim habundent tribulationes per Christum, sed habundant et consolationes per ipsum. Denique audi consolationem. Peccatum in foribus est, sed aperias ipse non intrabit. Appetitus in corde pruriet, sed subter est; nisi sponte cesseris nil nocebit. Audi consolationem. Consensum cohibe, ne prevaleant, et tunc inmaculatus eris ut sine macula ingrediaris et ipse ad habitandum in tabernaculo, et requiescendum in monte sancto domini dei tui. Si mei non fuerint dominati tunc inmaculatus ero, et emundabor a delicto maximo. Maximum plane delictum quod interiorem et exteriorem hominem occupat universum. Adhuc audi consolationem. In sex inquit tribulationibus liberaberis, et in septima non tanget te malum. Si puer hebreus es sex annis serviens, liber egredieris in septimo. Sex tibi sunt tribulationes contra desideria cordis, et quinque propter sensualitatis corporee voluptatem, sed in his sex liberaberis a septima, non quidem ne veniat, sed ne ledat ne tangat te malum. Veniet quidem mors, ipsa enim est septima tribulatio, sed sompnus erit dilectio domini, et ecce hereditas eius. Erit ianua vite, erit initium refrigerii, erit sancti montis illius scala, et ingressus tabernaculi admirabilis, quod fixit deus et non homo. In septima inquit non tanget te malum. Malum utique triplex quod eos manet in septima, qui in sex tribulationibus dissimulant perfecte interim liberari, nec in sex ydriis purificantur ad liquidum, ut exhibeantur in nuptiis sponsi non habentes maculam aut rugam. Manet enim eos horror in egressu, dolor in transitu, pudor in conspectu glorie magni dei. Unde nobis ista dissimulatio fratres mei, unde hec tam periculosa tepiditas, unde hec securitas maledicta. Quid seducimus miseri nosmetipsos. Forsitan iam divites facti sumus, forsitan iam regnamus. Nonne ostium domus nostre horribiles illi species obsident, nonne exitum nostrum larvales ille facies prestolantur.